

De stella simiarum

CALIGULA

—

<http://www.trigofacile.com/jardins/>

Prima pars

Caput primum

[I] In vacuitate Jinn et Phyllis, quam longissime ab inhabitatis sideribus, mirandas ferias agebant. Nam temporibus illis, itinera inter planetas in usu communi erant; circuitus inter sidera haud extraordinarii. Viatores enim in singulares situs Sirii vel argentarii in praeclaras mensas Arcturi et Taygetes missilibus avecti sunt. Sed Jinn et Phyllis, par divitum otiosorum, in cosmo novitate sua et poetica quadam nobilitabantur. Animi causa enim peragrabant universum – passo velo.

[II] Navicula sua autem quasi sphaera visa est cujus tegumentum – quod velum erat – miris modis tenue et leve, per inane ibat, pressione lucidorum radiorum impulsante. Qualis machina in vicinitate stellae sibi commissa (satis procul tamen ne locus gravitatis major fuerit) semper in recta regione a stella retrocedit; sed cum regio caelestis, in qua Jinn et Phyllis vivunt, soles tres haberet, alios parum longe ab aliis, navicula luminis ictus a variis axibus tribus accipiebat.

Tum Jinn sollertem artem navigandi cogitaverat. Velum enim compage lamellarum nigrarum insutum, quam ipsius nutu involvere et evolvere poterat, adeo ut effectus luminis instantis mutaret, dum aliquarum partium potestates in repercutendo solis ardore permutat. Quod molle tegumentum praeterea navigatori, ex arbitrio suo, licebat sive contraheret sive dilataret.

Ubi primum Jinn incessum accelerare volebat, ei quam largissimam diametrum dabat. Illud radiorum flatum ingentiore in superficie capiebat quam navigium in spatium celerius irruebat; quod vertiginem Phyllidi amicae injiciebat et quam vertiginem ipse invicem patiebatur atque, eadem vertigine capti, inter se cupide amplectebantur, dum vagos oculos longe circumferunt per occultas tenebras quo in cursu suo abripiabantur.

Cum contra tardius ire vellent, Jinn clavum digito pellebat. Tum velum adeo comminuebatur ut sphaera satis magna esset quam ut ambo inter se artius complexos complecteret. Luminis actio neglegi poterat atque haec parvula bulla, ad inertiam redacta, immobilis videbatur tanquam ab oculis latenti perpendiculo in vacuo suspensa. Duo adulescentes in hoc imminuto spatio, ad mensuram suam condito, quod Jinn stanti velivolo navi et Phyllis sub mari bullae aeris arenae assimilabat, segnes ac blandas horas degebant.

[III] Jinn alia artificia noverat, a velivolantibus cosmonautis sicut artis fastigium cogitata; exempli gratia, ad viam flectendam uti umbra planetarum et cometarum. Disciplinamque Phyllidem docebat, quae fere tam habilis et saepe audacior quam ipse fiebat. Cum illa scapham gubernaret, accidit eam hinc atque illinc obliquis itineribus velificare ut eos ad extremos constellationis fines abstraheret, dum aliquam magneticam turbidonem contemnit quae lucidas undas evertere atque navem tanquam nucem concutere incipiebat. Duobus vel tribus casibus, Jinn, tempestate somno excussus, stomachari debuerat ut gubernaculum reciperet et ad portum repetendum auxiliare pyromotrum citissime concitaret, quod tamen eis summo honori erat tantum in periculosis occasionibus factum.

[IV] Hoc die, Jinn et Phyllis proxime accubantes, medio in folle, nihil curabant nisi a feriis delectari, dum a solibus tribus percocti sunt. Jinn, oculis clausis, solum amorem Phyllidis cogitabat. Phyllis, latere jacens, immensum spatium spectabat et cosmico inanis sensu torpescibat, ut saepe solebat.

Repente e somno exiit, frontem contraxit et se surrexit. Trans inane insolitus fulgor trajecerat. Brevissima temporis momenta exspectavit et iterum fulgorem percepit sicut radium a splendida re reditum. Cosmi sensus, quem ex itineribus adepta erat, eam decipere non poterat. Praeterea Jinn monitus in sententiam ejus ibat atque concipi non poterat Jinnum in hoc errare : coruscum corpus sub lumine per inane fluctuaret neque jam poterant definire quam ab eis distaret.

Jinn binocularia cepit quae in miraculum intendit, dum Phyllis humero ejus innititur.

— Minuscula, inquit, res est. Visa est vitro facta... Sine igitur adspiciam! Propius nos accedit. Citius quam nos progreditur. Visa est...

Subito severiorem vultum praebuit. Binocularia dimiserat, quae confestim illa arripuit.

— Est, cara mea, inquit ille, lagoena.

— Lagoena?

Invicem illa adspexit.

— Ita, est lagoena. Eam distincte video. Claro ex vitro facta est. Obturata est et sigillum video. Alba res intus est... papyrus, volumen sine dubio. Jinn, oportet eam capiamus!

[V] Quae sententia erat Jinni, qui jam motus aptos ad navem locandam in trajectu insolitae rei edere inceperat. Quod cito effecit et sphaerae celeritatem deminuit ut conveniretur. Dum haec geruntur, Phyllis, omnino cooperta, de velo per binas cochleas exiverat. Ibi, altera manu resti haerens, alteraque manu retem cum longo manubrio vibrans, se paravit ad lagoenam capiendam.

[VI] Non eis novum erat in incognita corpora incidere jamque ei rete usi erant. Dum lente navigant vel stanti etiam nave, improvisa cognoverant resque cosmonautis prohibitas invenerant. In rete enim Phyllis stellarum in pulverem contritarum reliquias et caelestium fragmenta, quae ab extremis spatii finibus venerant, et satellitum particulas, qui initio spatialis explorationis misi erant, colligerat. Et illa maxime gloriabatur rerum copia quam contraxerat; sed primum lagoenam offendebant et quae volumen continebat – id quod illa non jam dubitabat. Tota festinatione horrescebat, cum tanquam aranea filo jactaretur. Tum concordi per telephonium inclamavit :

— Lentius, Jinn... Minime, paulo citius; lagoena nos antecessura est...; sinistrorsum... dextrorsum... sine ineat... hanc teneo!

Triumphum clamavit et in sphaeram cum captura penetravit.

Erat lagoena magna capacitate cujus collum sigillo cautissime obturatum erat. Volumen papyri intus dispiciebatur.

— Hanc perfringe! Jinn, festina! trepida Phyllis exclamavit.

[VII] Sedatior Jinn, ratione et via, ceram auferebat sed cum sic lagoenam aperuit, se chartam infixam extrahere non posse animadvertit. Tum aequo animo amicae precibus cessit et malleo vitrum fregit. Sponte volumen evolutum est. Multis ex schedulis tenuibus factum in quibus minutissime scriptum erat. Ex signis linguae terrestres erat scriptum, quae Jinn, qui in orbe terrarum partim studuerat, perfecte cognoverat.

Ei autem incommodum erat recitationem documenti casu tam mirum in modum obviam dati incipere; sed a Phyllide irritata impellebatur. Ipsa enim sermonem terrestrem male audiebat et ei opus erat auxilio.

— Jinn, te obsecro!

Tum ille adeo sphaerae spatium deminuit ut molliter per inane fluctuaret, dein exploravit num quid obicis ante eos staret atque postremo, recubans propter amicam, scriptum legere incepit.

Caput alterum

[I] Hoc manu scriptum vacuitati trado, non ad auxilium obtinendum sed potius ut forte adjuvem in horribili peste depellenda quae generi hominum instat. Deum misereat nostri...!

— Generi hominum? inquit Phyllis attonita.

— Hoc est scriptum, inquit Jinn confirmans. Noli a principio recitationem interrompere!

Et recitationem resumpsit.

Ego vero, Ulyxes Serranus, navigio cosmico cum meis abii. Multosque annos superesse possumus. Ita in nave olera fructusque colimus atque cohortem constituimus ne quid nobis desit. Aliquando fortasse in hospitalem stellam incedemus sed id sperare vixdum audeo. At haec est relatio casus, quam fidissime tradita. Anno bis millesimo quingentesimo cum comitibus duobus in navigium cosmicum ascendebam ut caelestem regionem attingerem cui maximum sidus Alpha Orionis praestat.

[II] Hoc propositum fuit gloriae cupidum majusque quam aliquando ab omnibus hominibus cogitatum esset. Alpha Orionis, ut id astrologi vocabant, distat a nostra stella longinquitate lucis annorum¹ paene trecentorum. Quae stella est notanda pluribus modis. Primum statura, nam diametrus ter vel quater centies solis nostri valet, hoc est si centrum locatum esset in sole medio, hoc monstrum usque ad Martem spatiaetur.

Deinde lumine, nam est sidus primae magnitudinis, splendidissimum ex constellatione Orionis, quod a terra oculis videre possumus quamvis maxime longinquum sit. Et natura radiorum, nam rubeos et luteos ignes egregius emittit.

Postremo variis fulgoribus est astrum, nam lumina cum tempestate commutant quod evenit ex diametri turbationibus. Alpha enim Orionis est stella palpitans.

[III] Qua re, post compagem solarem exploratam, cujus omnes orbes orbi incolis sunt, tam longinquum sidus electum est sicut primi interstellaris itineris meta? Antella ille doctus professor hanc sententiam imposuit. Auctor princeps rei qui omnes immensasque opes suas ad quam contulit, expeditionisque caput ipse non tantum navigii cosmici formam finxerat sed etiam id exstruendum curaverat.

Sententiamque suam, dum iter facimus, mihi aperuit.

— Carissime Ulyxes, inquit, haud difficilius, haud longiusque est adtingere Alpha Orionis quam sidus multo propius sicut, verbi gratia, Proximam Centauri.

Hoc loco persuasum habui bene esse recusare atque scientiam de sideribus quam modo adeptus essem ostentari.

— Haud longius! inquam. At tamen Proxima Centauri vixdum a Terra quattuor lucis annis distat cum Alpha Orionis...

— Trecentis lucis annis distet. Ait Antella professor. Non id ignoro. Biennium tamen vix impendemus ut eo perveniamus, cum tempus paululo inferius nobis fuisset ut in regionem Proximae Centauri adveniremus. Contra enim tu cogitas quia quibusdam, quae intra stellas nostras itinera sunt, pulicis saltibus peritus es, quos constat magna cum acceleratione exordiri,

1. *Lucis annus* est longinquitas quam lux per annum unum emetitur, id est 9 461 000 000 000 km.

quia paulum permanet celeritasque cursus ridicule parva adtingenda est atque prae nostra extra modum minutissima... Non alienum est me tibi explanare quo modo navis nostra incedat.

[IV] — Ope pyromotrorum melius redditorum, quae perficere mihi honori fuit, navis quam maxima celeritate omni corpori idonea progredi potest id est lucis celeritas hilo deminuta.

— Hilo deminuta?

— Dicere volebam navem progredi celeritate in infinitum lucis proxima.

— Bene, hoc sapio.

— Hoc etiam tibi sciendum est quod, cum tanta celeritate procedimus, tempus a tempore quod in orbe nostro est notabiliter recedit atque tanto majus temporis intervallum est quanto citius progredimur. Nunc enim, a sermone inchoato, paululum temporis egimus qui tamen plures menses in orbe nostro fuerunt. Quin etiam, tempus quasi nobis non praeteribit neque ulla commutationes sentiemus. Nonnulla enim temporis tibi mihi que scripula ac nonnulli nostrum cordi pulsus cum longinquitate multorum annorum terrestri congruent.

[V] — Hoc et sapire possum. Est etiam causa qua possumus sperare nos vivos ad itineris metam perventuros. At tamen quare biennium iter faciamus? Quidni tantum per aliquot dies vel aliquot horas?

— Ad hunc locum venire cupiebam. Ut hunc impetum quo tempus nonjam fugit cum acceleratione tolerabili capiamus nobis annus ferme unus necesse erit. Alter autem annus ad cursum minuendum nobis necessarius erit. Sapiistine navigandi rationem nostram? Menses duodecim ad augendum impetum et ad minuendum duodecim menses inque intervallo aliquot horae erunt per quas maximam itineris partem faciemus. Inde intelligis quare haud multo diutius ad Alpha Orionis quam ad Proximam Centauri eamus. In hoc itinere, annum unum, qui necesse est ut celeritatem augeamus, pariter vixeremus unumque remissionis annum et fortasse in intervallo aliquot temporis puncta pro aliquot illius itineris horis. Etenim inter itinera duo parvi interest. Cum senesco neque alterum trajectum faciendi robur habebam, malui nos loca longiora petere speransque nos mundum nostri maxime dissimilem inventuros.

[VI] In astronave otiis nostris cum hoc colloqui genere operam dabamus et, eodem tempore, quanti professorem Antellam omni doctrina ornatissimum aestimarem perspexi. Non erat humanarum scientiarum locus quem non exploravisset et mihi erat honori talem ducem habere tam periculosi operis. Iter, ut praeviderat, annos temporis nostri duos duravit, per quos saecula tria, ut opinor, terrestria transierunt. Hoc tamen erat solum incommodum : longiora loca petisse ut si aliquando domum rediremus, orbem terrarum septingentis vel octingentis annis seniores inveniremus. Sed aliud curavimus. Excogitabam etiam propositionem e saeculo suo effugendi fuisse professori plurimas blanditias namque ille fatebatur homines ei taedio esse...

— Homines, semper homines, inquit etiam Phyllis.

— Homines certe, inquit Jinn rem confirmans. Scriptum est.

Nihil grave in volatu nobis incidit. Cum ab Luna profecti essemus, solem minimum fieri usque ad primum mali speciem et deinde bacae postremoque lucidi puncti sine mensura, parvulum sidus vidimus quod tantum professoris scientiae licuit inter centies milies centena milia siderum in universo detegere.

[VII] Sine sole igitur vivebamus neque ex eo laborabamus quoniam navis luminis fontes, quae idem valebant, habebat. Nec taedium nobis erat quia cum professore colloqui suavissimum erat adeo ut magis in hoc biennio quam tota in vita praeterita discerem. Praeterea necessariam navis regendae notitiam cognovi quod haud difficilius fuit nam satis erat machinis electronicis imperare quae omnes rationes efficerent et motus sua sponte regerent.

Ex horto, qui in nave magni interfuit, suaviter animos nostros relaxavimus. Antella professor, qui, inter haec et alia, agriculturae et herbariae studebat, itinere frui voluerat ut cogitationes

de plantarum incremento in vacuitate probaret. Loculus enim cubicus, lateribus triginta fere pedum, pro agro erat. Tabulatis gradatisque spatium totum habitum. Terra fimis ficticiis renovabatur et, vix tertio mense postquam profecti sumus, laeti vidimus multa olera promentia e quibus salubres cibus ubertim traximus. Nec gratum omissum nam floribus sectio manebat quos professor studiose curabat. Qui singularis homo nonnullas aves et papiliones simiamque, parvum troglodytam, abduxerat cui nomen Hectorem indidimus et saltibus suis nos oblectabat.

[VIII] Haud dubium erat quin Antella sapiens, cum *μισάνθρωπος* non esset, genus tamen hominum parvi probaret. Saepe autem jactabat se aliquid ab illis noniam exspectare ex quo...

— *Μισάνθρωπος* ait etiam Phyllis confusa. Homines?

— Si plerumque me interpellaveris, inquit Jinn, numquam ad terminum ibimus. Age sicut ago! Conare intelligere!

Phyllis pollicetur se usque ad terminum lectionis silentium servaturam et fidem tenuit.

...ex quo certe fit ut in nave satis magna tamen ad multas familias capiendas, plurima autem gignantia, nonnulla animantia collegisset sed numerum viatorum determinando, qui tres tantum erant : ipse, Arthur Fermentius deinde, discipulus ejus juvenis eximia spe in rerum naturam versatus, ego postremo, Ulyxes Serranus, qui haud clarus diurnarius professorem colloqui casu offenderam. Is autem proposuerat ut me abduceret, quod me caelibem esse latrunculisque bene ludere animadvertit. Erat enim juveni diurnario extraordinaria occasio. Etiam si itineris relatio non ante octingentos annos edita, forte propter hoc, rari et magni momenti esset. Itaque studiosius acceperam.

[IX] Haud impeditum vero iter fuit. Una tamen molestia pondus adgravescens anno accelerationis et remissionis anno. Corporum nostrorum enim oportuit pondere assuesceremus quasi sescuplum graviore quam terrestri, quae res primo nobis satis molesta fuerat quam paulatim noniam animadvertimus. Et inter hae dua momenta, omnino corporum pondus defuit cum omnibus rei mirabilibus notis, quod autem tantum perpauca horas productum ex quo tamen non sumus affecti. Die quodam, post hanc longam transmissionem, in caelo Alpha Orionis transcriptum sub figura nova vidimus commoti.

Caput tertium

[I] Fervor vero ex tali spectaculo datus exprimi non potest. Sidus enim, nuper nitidum punctum in multis firmamenti punctis sine nomine, paulatim ex tenebris imis prominuit, in spatio cum mensura inscriptum est, primum quasi splendentem visum est nucem, deinde simul latius factum est atque ejus colorem revelatum donec simile malo Aurantio visum, tandem in cosmo cum eadem diametro conspicua quam diurni astri a nobis bene noti apparuit. Novus autem pro nobis, tam subrubicundus quam noster dum occidit, sol ortus est cujus jam calorem et vim sensimus.

[II] Lentissima autem celeritas nostra erat. Ita ad Alpha Orionis appropinquavimus ut ejus conspicua diametrus longe omnium, quae hactenus contemplabamur, caelestium corporum diametrum superaret a quo mirabiliter commoti sumus. Antella aliquantulum robota jussit ut nos circum permagnum sidus gravitate ferri facerent. Tum doctus homo astronomica instrumenta expandit et observitare coepit.

[III] Neque moratus est ut stellas errantes quattuor inveniret quarum mensuras et distantias a centrali sideri celeriter definivit. Una autem ex quibus, secunda ab Alpha Orionis, trajectu nostri vicino se movebat. Magnitudinem Terrae propinquam habebat; caelumque ex azoto et oxygeno; circum Alpha Orionis in distantia, quae fere tricies illam Terrae et Solis valebat, circumibat dum radiationem comparandam ad hanc quam nostra Terra capit recipit beneficio formae supergigantis et caloris aliquantulum demissi.

[IV] Quam stellam ut prima meta esset decrevimus. Robotis iterum jussis, navis circum illam citissime quasi satelles facta est. Tum, vi motorum cohibita, hunc novum mundum observavimus per otium. Maria et continentia nobis telescopio praemonstrata sunt.

[V] Male idonea ad appellendum in terram navis erat, quod cogitatione provideramus, namque tres machinas pyromotris motas et multo minores in promptu habebamus, a nobis scaphas cognominatas. Quarum in una nos collocavimus, nobiscum aliqua instrumenta mensurae ferentes et abducentes Hectorem troglodytam qui instar nostri veste siderali, quam gerere assuefactus erat, usus est. Navis vero circum stellam ire sivimus nam in hoc circuitu securior erat quam oneraria in portu et praeterea sciebamus eam nihilum suo cursu decedere.

[VI] Scapha nostra facile poteramus ad planetam ejus generis accedere. Ubi primum spissitatem caeli intravimus Antella professor aeri externi exempla, quae in corpora discerneret, hausit. Quem aerum aëro Terrestri similem temperatione eademque altitudine invenit. Neque multum moratus sum ad cogitandum aëros idem valere nam cito ad solum appropinquabamus, a quo enim kilometra quinquaginta vixdum aberamus. Robotis omnia administrantibus, nihil negotii habebam et os ad specularia apponere poteram ut viderem hunc ignotum mundum ad me ascendentem atque ex quibus rebus inveniebam animum meum extuli.

[VII] Haec stella ad Terram nostram insolite aliquas paritates habebat. Quae opinio in puncta temporis singula crescebat. Nunc oculorum judicio fines continentium dispiciebam.

Caelum serenum erat et quasi pratens atque etiam huc illuc luteum tanquam caelum Narbonensis provinciae sole occidente. Oceanus vero caeruleus erat cum maculis viridibus. Quanquam lineamenta litorum distabant ab omnibus quae domi videram, tamen oculo meo febrili et tantis paritatibus permoto insanus perseverabam ut ibi etiam similitudines invenirem. Sed hactenus res inter se similes erant nam nihil geographice veteris et novi mundi nostri me commonebat.

[VIII] Nihilne ? Quid dicam ? Immo contra praecipua rerum ! Namque in hac stella habitatur. Super urbem enim volabamus, urbem satis magnam ex qua viae arboribus utrimque saeptae quoquoersus proficiscebantur in quibus vehicula currebant. Potui tamen dispositionem ejus summatim prospicere : patulas vias, albasque domus cum rectis angulis.

[IX] Sed abhinc nobis adpellendum erat. Cursu enim primum super arva auferebamur, deinde super spissam silvam, colore russeolo, quae aequinoctialis silvae nos commonebat. Jam humilima altitudine volabamus atque magnum locum silvae rarioris animadvertimus qui vastum et planum montis spatium continebat, cum circumjectae exstantiae molestiores essent. Dux tamen instituit ut fortunam periclitaremur ultimaque imperata robotis dedit. Retropyromotra repente agitabantur atque immobiles fuimus super rariorem silvam sicut avis marina piscem speculans.

Denique, post biennium itineris a Terra, lentissime descendimus atque illaesi media in planitie nos collocavimus inque viridi gramine quod prata Normanniae memorabat.

Caput quartum

[I] Postquam terram attigimus, taciti immotique diuturne mansimus. Quod fortasse mirum videbitur sed animos colligere et industriam in nosmet figere nobis opus erat. In casum enim multo mirabilius quam casus primorum nautarum in Terra fuerunt nos immersimus et animum apparavimus ad insolentias oppetendas quas poetarum saecula mente agitaverant de intersideralibus itineribus.

Pro miraculis nunc speratis, tantum in herbam stellae errantis, quae nostrae instar oceanos et montes et silvas et arvas et urbes et sine dubio incolas tenebat, sine periculo nos posuimus. At tamen satis procul a cultis aderamus ut erat spatiosissima silva super quam volavimus priusquam in humum appulimus.

[II] E somno tandem exiimus. Vestibus sideralibus gestis, fenestram scaphae caute aperuimus neque aeris motus factus est nam externae et internae pressiones adaequaverunt. Silva sicut castrorum vallum spatium circumdabat et nullus sonitus motusque eam turbabat. Temperies calida sed tolerabilis erat : fere viginti et quinque centigradorum.

E scapha abiimus cum Hectore. Professor Antella praecise aeris corpuscula dispicere primo instituit. Exitus experimenti animos nostros confirmavit nam aer idem atque Terrestris erat nisi ab aliquis raris spiritibus differebat. Naribus eum ducere omnino licebat. At eximia cum prudentia in troglodyta experimentum egimus. Siderali veste exutus, simia valde hilarus ac nequaquam offensus visus est atque laetitia elatus quasi ei libertas humi reddita est. Aliquot exsultationibus factis, in silvam incucurrit inque arborem insiluit perque frondes exsultavit. Mox discessit et ex oculis evanuit, quamquam eum gestibus et vocibus inclamabamus.

[III] Cum sideralibus vestibis exueremus, alius cum alio libere colloqui potuit et magno-pere vocum nostrarum sonis permoti sumus atque timide haud procul a scapha aliquantulum ambulare coepimus.

Non dubitandum erat quin in geminam Terrae sororem essemus ; vita erat et arbustorum genus maxime vigeat. Nonnullae earum arborum plus quam metra quadraginta altae erant neque genus animalium moratum est quin sub specie magnarum nigrarumque avium se ostenderet, quae in caelo pennis instar vulturum pendebant, cum aliis minoribus psittacis satis similibus, quae aliae alias pipientes insequabantur. Ex quo, priusquam appulimus, videramus, certo scivimus civilem esse mundum. Quoddam rationale genus, ne iam homines dicamus, orbis faciem composuerat. At tamen circa nos silva sine incolis videbatur. Qua cogitatione nequaquam stupuimus, quia, si forte in aliquo loco Asiaticae silvae appulissemus, eandem solitudinem sensissemus.

[IV] Imprimis oportuit, priusquam aliquid temptavimus, nos erranti stellae nomen tribuere, cui igitur nomen indidimus *Sorori*, propter Terrae nostrae similitudinem.

Cum sine mora loca explorare institueremus, intra silvam ingrediebamur et quamdam semitam natura factam sequebamur. Ego et Arthur Fermentius tela ferebamur, armorum uero professorem pigebat. Et leves nos sensimus et hilariter processimus, non quod gravitas minor quam in Terra esset, plena quoque similitudo erat, sed quia cum magna astronavis gravitate differebat, et haedulorum more salire incitati sumus.

[V] Simplici agmine progressi sumus, Hectors interdum frustra vocabamus, cum juvenis Frementius, qui agmen ducebat, constitit et manu signa fecit ut attenderemus. Strepitum, quasi aqua fluebat, procul audivimus. Adversum imus et sonitum definire potuimus.

Unda cadens erat et, ubi primum illam conspeximus, nos tres amoenitate locorum quos nobis Soror praebebat permoti sumus. Rivulus, tam clarus quam torrentes monte devoluti, supra capita nostra serpebat, in plano aequor diffundebatur, ab altitudine multorum metrorum in quemdam lacusculum decidebat, potius in piscinam natura factam saxis et arena praetextaque, summaque aqua igniferum Alpha Orionis rectum reddebat.

[VI] Quae unda nos illicebat adeo ut eandem rem ego et Fermentius cupiremus. Magnus calor erat, nos vestibus despoliavimus, prompti ad praecipitandum nos in lacum, sed professor ille nos monuit ut aliquantulum caute agendum esset, cum modo in Alpha Orionis veniremus. Fortasse hunc liquorem non aquam esse et admodum nocere posse. Se ad oram lacus appropinquavit, subsedit et eum dispecit et cautissime digito tetigit. Postremo manu paucum cepit et hausit et summam linguam madefecit.

— Nihil est nisi aqua, inquit murmurans.

Cum iterum subsedit ad manum mergendam, eum immobilem fieri vidimus. Clamavit et ad vestigium, quam subinde invenerat, digitum tetendit. Quoad vixi, ut opinor, numquam tanto commotus sum. Hic, sub ardentibus radiis sideris, Alpha Orionis, qui supra capita nostra, sicut ingens ruber follis, caelum invadebat, bene visibile, in udae arenae taenia mire delineabatur vestigium hominis.